'nunc morere. ast de me diuum pater atque hominum rex
uiderit.' hoc dicens eduxit corpore telum.
olli dura quies oculos et ferreus urget 745
somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen
Partheniumque Rapo et praedurum uiribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Erichaeten,
illum infrenis equi lapsu tellure iacentem, 750
hunc peditem. pedes et Lycius processerat Agis,
quem tamen haud expers Valerus uirtutis auitae
deicit; at Thronium Salius Saliumque Nealces
insidiis, iaculo et longe fallente sagitta.
Iam grauis aequabat luctus et mutua Mauors 755
funera; caedebant pariter pariterque ruebant
uictores uictique, neque his fuga nota neque illis.
di Iouis in tectis iram miserantur inanem
amborum et tantos mortalibus esse labores;
hic Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno. 760
pallida Tisiphone media inter milia saeuit.
At uero ingentem quatiens Mezentius hastam
turbidus ingreditur campo. quam magnus Orion,
cum pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna uiam scindens, umero supereminet undas, 765
aut summis referens annosam montibus ornum
ingrediturque solo et caput inter nubila condit,
talis se uastis infert Mezentius armis.
huic contra Aeneas speculatus in agmine longo
obuius ire parat. manet imperterritus ille 770
hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
atque oculis spatium emensus quantum satis hastae:
'dextra mihi deus et telum, quod missile libro,
nunc adsint! uoueo praedonis corpore raptis

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id41567977X/365 UNIVERSITÄT LEIPZIG